

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Discipulis fabricam templi ostendentibus et mirantibus, prædicit illius totiusque urbis per Titum, quin et orbis universi in fine mundi excidium. Mox, vers. 3, signa prævia, sed communia utrique excidio assignat, scilicet bella, pseudoprophetas, famem, terræ motus, pestem ac prædicationem Evangelii per totum orbem. Inde, vers. 13, proprium signum prævium excidio urbis Hierosolymæ dat, abominationem desolationis stantem in loco sancto. Propria vero signa prævia excidio orbis, vers. 29, dat solis et lunæ obscuracionem, stellarum de celo casum, virtutum celestium commotionem. Denique, vers. 36, monet ut omnes strenue se parent ad illum diem universalis excidii et iudicii extremi, eo quod dies hic plane incertus sit, et nulli cognitus, sed improvisus hominibus incogitantibus obveniet, eosque securos subito occupabit.

Dicit hæc Christus jam fervens pergensque ad mortem, die martis post Dominicam Palmarum, cum post tres dies crucifigendus foret, ut dicit in Chronotaxi, num. 64 et 65.

1. Et egressus Jesus de templo, ibat. Et accesserunt discipuli ejus, ut ostenderent ei edificaciones templi. 2. Ipse autem respondens, dixit illis: Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruat. 3. Sedente autem eo super montem Oliveti, accesserunt ad eum discipuli secreto, dicentes: Dic nobis, quando hæc erunt? et quod signum adventus tui et consummationis sæculi? 4. Et respondens Jesus, dixit eis: Videte ne quis vos seducat; 5. multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus, et multos seducent. 6. Audituri enim estis prælia et opiniones præriorum. Videte ne turbemini; oportet enim hæc fieri, sed nondum est finis. 7. Consurget enim gens in gentem, et regnum in regnum; et erunt pestilentiae, et fames, et terræ motus per loca. 8. Hæc autem omnia initia sunt dolorum. 9. Tunc tradent vos in tribulationem, et occident vos; et eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. 10. Et tunc scandalizabuntur multi, et invicem tradent, et odio habebunt invicem. 11. Et multi pseudoprophetae surgent, et seducent multos. 12. Et quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum. 13. Qui autem perseveraverit usque in finem, ille salvus erit. 14. Et prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus: et tunc veniet consummatio. 15. Cum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele Propheta, stantem in loco sancto: qui legit, intelligat; 16. tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes; 17. et qui in tecto, non descendant tollere aliquid de domo sua; 18. et qui in agro, non revertatur tollere tunicam suam. 19. Væ autem prægnantibus et nutrientibus in illis diebus. 20. Orate autem ut non fiat fuga vestra in hieme vel sabbato. 21. Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet. 22. Et nisi breviati fuissent dies illi, non feret salva omnis caro; sed propter electos breviabuntur dies illi. 23. Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere. 24. Surgent enim pseudochristi et pseudoprophetae, et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errore inducantur (si fieri potest) etiam electi. 25. Ecce prædixi vobis. 26. Si ergo dixerint vobis: Ecce in deserto est, nolite exire; ecce in penetralibus, nolite credere. 27. Sicut enim fulgur exit ab Oriente, et paret usque in Occidentem; ita erit et adventus Filii hominis. 28. Ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur et aquila. 29. Statim autem post tribulationem dierum illorum, sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cælo, et virtutes cælorum commovebuntur; 30. et tunc parebit signum Filii hominis in cælo; et tunc plangent

omnes tribus terræ; et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa, et majestate. 31. Et mittet angelos suos cum tuba et voce magna; et congregabunt electos ejus a quatuor ventis, a summis cælorum usque ad terminos eorum. 32. Ab arbore autem fici discite parabolam: cum jam ramus ejus tener fuerit, et folia nata, scitis quia prope est æstas; 33. ita et vos cum videritis hæc omnia, scitote quia prope est in januis. 34. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia hæc fiant. 35. Cælum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. 36. De die autem illa et hora nemo scit, neque angeli cælorum, nisi solus Pater. 37. Sicut autem in diebus Noe, ita erit et adventus Filii hominis. 38. Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes et bibentes, nubentes et nuptui tradentes, usque ad eum diem, quo intravit Noe in arcam; 39. et non cognoverunt, donec venit diluvium, et tulit omnes: ita erit et adventus Filii hominis. 40. Tunc duo erunt in agro: unus assumetur, et unus relinquetur; 41. duo molentes in mola: una assumetur, et una relinquetur. 42. Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. 43. Illud autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur venturus esset, vigilaret utique, et non sineret perferri domum suam. 44. Ideo et vos estote parati; quia quia nescitis hora Filii hominis venturus est. 45. Quis, putas, est fidelis servus et prudens, quem constituit dominus suus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore? 46. Beatus ille servus, quem, cum venerit dominus ejus, invenerit sic facientem. 47. Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum. 48. Si autem dixerit malus servus ille in corde suo: Moran facit dominus meus venire; 49. et cæperit percutere conservos suos, manducet autem et bibat cum ebriosis; 50. veniet dominus servi illius, in die qua non sperat, et hora qua ignorat; 51. et dividet eum partemque ejus ponet cum hypocritis. Illic erit fletus et stridor dentium.

4. ET EGRESSUS JESUS DE TEMPO, IBAT, — in ore suo sub vesperam in montem Olivarum ad peroclandum cibumque sumendum in Bethania apud Martham et Magdalenam, cum per totum diem docuisset in templo jejuniis.

ET ACCESSERUNT DISCIPULI EJUS, UT OSTENDERENT EI EDIFICACIONES TEMPLI. — Ocasio fuit, quod Christus, in fine capituli præcedentis, prædixerat Hierosolymæ et consequenter templi excidium et desolationem. Discipuli ergo hæc desolationem tantæ urbis admirantes stupentesque, ut Christum excitent ad commiserationem et ad revocandam excidii sententiam, ostendunt ei admirandam templi fabricam, pulchritudinem, magnificentiam, quæ æternitatem mereri videbantur. Erat enim templum hoc orbis miraculum; nam, ut ait Josephus, lib. VI *Belli*, cap. vi: «Exterior ejus facies nihil quod animi et oculi mirarentur, non hæc habat: crustis enim aureis gravissimis undique tecta, ultra primos ortus igneo splendore relucebat, ut, cum intuerentur contentium oculi, quasi solis radiis averterentur.» Vide eundem, lib. XV *Antiq.*, cap. xiv, et Vilalpandum, *De Templo*. Ita S. Hilarius: «Post comminationem, ait, deserendæ Jerusalem, tanquam commovendus ambitio templi esset, magnificentia ei extractionis ostenditur.» Sic et Origenes, S. Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus, Jansenius, Maldonatus et alii. Verum nil movit Christum omnis hæc magnificentia, sed in

sententia excidii persistit. Simili enim modo Deus ob scelera omnem magnificentiam Nives, Babylonis, Tyri, Alexandriae, Antiochiæ et Romæ everit, tum ob incolarum scelera, tum ut ostenderet omnem hæc magnificentiam caducam, brevem et exilem esse, ac hominum oculos et animos ad spectandam ambiendamque cæli magnificentiam longe majorem eamque perpetuam traduceret.

Vere pieque S. Augustinus: «Non erit magnus, inquit, magnum putas si cadunt ligna et lapides, et moriuntur mortales; » qua sententia se suosque solari solebat S. Augustinus, obsessa a Wandalis Hipponæ, cujus ipse erat episcopus, que et post mortem ejus a Wandalis capta est, incensa et incolis destituta, ait Possidonius in ejus Vita.

2. IPSE AUTEM RESPONDENS, DIXIT ILLIS: VIDETIS HÆC OMNIA? AMEN DICO VOBIS, NON RELINQUETUR HIC LAPIS SUPER LAPIDEM, QUI NON DESTRUATUR. — «Non relinquetur lapis super lapidem.» Est hyperbole, q. 1. Funditus excidietur et diruetur. Neque enim tam curiosi vel otiosi fuere Romani in excidio Hierosolymæ et templi, ut lapidem noxa relinquerent super lapidem; fuit tamen Jerusalem a Romanis incensa et plane eversa, ac solo adæquata, imo aratum in eam immisissum, teste S. Hieronymo in cap. viii *Zachariae*, Josepho et aliis, et hoc est quod significat hic Christus. Audi Josephum, lib. VII *Belli*, cap. xviii: «Ju-

bet eos Caesar (Titus) totam funditus jam eruerit civitatem ac templum, relictis quidem turribus quae praeter alias eminebant, Phaselo, et Hippico, et Mariane, murique tantum, quantum civitatem ab Occidente cingebat: id quidem ut esset castrum illic custodiae causa relinquendis; turres autem ut posteris indicarent, qualem civitatem quamque munissimam Romanorum virtus obfuisse. Aliam vero totum ambitum civitatis ita complanavere diruentes, ut qui ad eam accessissent, habitatum aliquando esse vix crederent.

3. SEDENTE AUTEM EO SUPER MONTEN OLIVETI, ACCES-
SUNT ADEUM DISCIPULI SECRETO, DICENTES: DIC NOBIS
AN DO HEC ERUNT? ET QUOD SIGNUM ADVENTUS TUI ET
CONSUMMATIONIS SEculi? — « Discipuli; » Marcus,
cap. XIII, 3 et 4, ait fuisse quatuor, scilicet Pe-
trum, Jacobum, Joannem et Andream, qui Christo
erant familiares ejusque secretorum consilii.
« Secreto, » soorsim non tantum a turribus, sed et
a ceteris Apostolis; Syrus, *inter se et cum*: erat
enim periculosum ob Scribas et magistratus de
templi excidio valdeari, imo loqui et interro-
gare; ob haec enim S. Stephanum lapidarunt ju-
dici, ut patet Act. VI, 14.

DIC NOBIS QUANDO HEC ERUNT (quae dixisti de
excidio Hierosolymae et templi)? ET QUOD SIGNUM
ADVENTUS TUI ET CONSUMMATIONIS SEculi? — de
quo nobis saepe locutus es, ut cap. XIII, vers.
40; cap. XVI, vers. 27; cap. XIX, vers. 28. Ibo
interrogant: primum, quando excidenda sit
Jerusalem; secundum, quando excidendus sit
orbis, et futurus dies iudicii, quo ipse venturus
sit judicare omnes homines. Putabant enim Apo-
stoli quod Jerusalem et templum diruenda essent
in glorioso Christi adventu et regno, in fine
mundi, quasi ipse in penam et ultionem suae
caedis et necis eam esset eversurus. Putabant ergo
haec tria eodem tempore eventura, scilicet exci-
dium urbis, excidium orbis et diem iudicii;
quia quae ex verbis Christi cognoverant im-
minere excidium urbis, opinabantur pariter im-
minere excidium orbis et diem iudicii. Id sibi
videbant colligere ex diebus Christi, Matth. XXII,
7 et 8; cap. XXIII, vers. ult. et penult., ubi Chris-
tus videtur haec omnia conjunxisse, id est con-
junctum de omnibus locutus esse (1).

(1) Judai, sive ante, sive post Christum, tanquam duo
simultanea Messiae adventum et iudicium mundi sibi
affingebant. Nil ergo mirum, ait D. Sepp, coere cit. t. II,
p. 71, Apostolos a Christo observasse an proxima esset
ultima dies; tunc enim eam mens praesaga falleret;
namque revera una dies mundi et quasi unus Dei
annus, nato Messia, celsus erat. Apud Gentiles etiam
ego tempore vigeat huiusmodi rumor et praesensio.
Audi Virgilium, *Eclog. IV*:

Omnis ab integro saeculorum nascitur

Audi Plinium Juniores qui, cum Tito rege, ante Ven-
nus mons erupisset, horrendam illam noctem, quae
vocat: « Plures, ait, aeternam illam et novissimam
interpretabantur; » adiecit sibi mortis quae
debat, solatium fuisse, « credere se cum omnibus et

Videtur etiam Christus, nunc sedens in monte
Olivarum contra templum, ait Marcus, quippiam
iterum hac de re praelocutus, ex quo Apostoli
haec interrogandi occasionem sumpserint, licet
id non exprimat Evangelista.

4. ET RESPONDENS IESUS, DIXIT HIS: VIDETE (pro-
videte et cavete) NE QUIS VOS SEDUCAT — a me
meaque fide, Evangelio, lege (1).

3. MULTI ENIM VENIENT IN NOMINE MEo, DICENTES:
Ego sum CHRISTUS; ET MULTOS SEDUCENT. — Tales
fuere primo, Theodas ille, de quo Act. v, 36; se-
cundo, Aegyptius ille impostor, de quo Josephus,
lib. II *Belli*, cap. XII, et Lucas, Act. XXI, 38; ter-
tio, Simon Magus, de quo Act. VIII, 10, qui, teste
S. Hieronymo, aiebat: « Ego sum sermo Dei,
ego speciosus, ego paracletus, ego omnipotens,
ego omnia. » Hic enim Simon, teste Irenaeo, lib. I,
cap. XX, aiebat se in Judaea apparuisse ut Filium,
in Samaria ut Patrem. in Gentibus ut Spiritum
Sanctum descendisse. Dicebat ergo superbus hic
Titan, et alter quasi Lucifer, se non solum esse
Messiam, sive Christum, sed et esse totam sanc-
tam Trinitatem; qui et suis magis spectris ita
Neronem et Romanos demenavit, ut Roma inter
duos pontes ei posita fuerit statua hoc titulo:
« Simoni Deo magno. » Quarto, tales fuere Ma-
xander, Saturninus, Carpoetas, Gnostici, ceterique
e familia Simonis prognati, de quibus Irenaeus,
lib. I, cap. XXI. Denique talis erit Antichristus,
Christi, *Joan. v, 43*: « Si alius venerit in nomine
suo, illum accipietis, » quod de Antichristo omnes
intelligunt, ait S. Augustinus, serm. 43 *De
Verbis Domini*.

6. AUDIURI ENIM ESTIS PRAELIA ET OPINIONES:
(Graece, *ἐξέξ*, id est adiciones, id est rumores;
Arabicis, *noxa*) PRAELIORUM. — Quae saepe praelo
ipso sunt tristiores, magisque animos metu malo-
rum etiam non futurorum, excruciant, juxta illud:

Pejor est bello timor ipse belli.

Pro « enim, » Graece est *ἐν*, id est autem, enim
omnia secum perire, » lib. VI, epist. 20 ad *Cornelium
Tacitum*. — Vide etiam Dion. Cassium in *Vita Titi impe-
ratoris*.

(1) Respondens suis discipulis, ait Allodi in l. I,
Christus, cujus ante oculos mille anni sunt tanquam dies
hesternae et custodia in nocte, simul intuetur et miscet
duos eventus, quasi unius divinae operationis seu providen-
tia actus, excidium scilicet Hierosolymae mensurae
finem. Fit enim pierumque ut praeteritarum menti, res
futuras prospiciant, eventus, qui historicis temporibus
vel longo intervallo sibi invicem succedunt, simul appareant
absque ulla aetatis discretione, ac fusi mixturae inter
se. Ita et in hac prophetia duo eventus, si haud ab-
similes, sed tempore diversi, similitudine vocibus narra-
tur, ita tamen ut, dum ubique atque reperiantur,
unus vel alter non sensu litterali, obvio et pleno, nam
sensu remoto, minus proprio et imperfecto querenda
sit. Opido quorundam, hic tantum praedicti Hierosoly-
morum excidium, tanquam SS. Patribus ecclesiasticisque scrip-
toribus adversa, crimino rejicienda est.

vero: alius enim signum a pseudopropheta,
vers. 5, praevium excidio urbis et orbis hic assignat
Christo, scilicet tumultus; bella, seditiones,
etc., quales ante excidium Jerusalem graves
in Judaea extitisse docet Josephus, lib. II *De Bello*,
cap. XI, et lib. XX *Antiq.*, cap. IV. « Duplex enim
libellus, ait Chrysostomus, futurum assertit, unum
a seductoribus, alterum ab hostibus. »

VIDETE (cavete) NE TURBEMINI. — Ut vel metu
hostium a fide mea desciscatis, vel desperatione
fructus a predicatione Evangelii cessetis; sed
generoso animo timori et tumultibus omnibus
oblucentes, praecipuas fidem in me meumque
Evangelium predicare. Causam cur non debeant
Apostoli turbari subjicit, dicens:

OPORTET ENIM HEC (Graece *ταύτα*, id est omnia;
Syrus, *haec omnia*, scilicet praedia et opiniones
praellorum) FIERI, SED NONDUM EST (id est erit) FINIS,
— Jerusalem et templi, ac multo minus saeculi,
itemque praellorum et malorum utriusque exci-
dio praeviorum: nam unius praedii malique
finis, alterius majoris erit principium, ut Hieroso-
lyme contigisse narrat Josephus, lib. III *De Bello*,
cap. XV, g. d. Ne turbemini ut animo cadatis, sed
magis assumite animos, ut vos comparetis ad
majora mala quae sequuntur sustinendum et su-
perandum, ne speretis pacem in terra, sed per
tolerantiam malorum in terra, tendite ad peren-
nem beatamque quietem in caelo.

7. CONSERGENT ENIM GENS IN GENTEM, ET REGNUM
IN REGNUM, ET ERUNT PESTILENTIAE, ET FAMES, ET TER-
REMOTUS PER LOCA. — ante excidium urbis aequae
ae orbis: nam, ut recte advertit S. Hieronymus,
Beda et S. Augustinus, epist. 80 ad *Hesychium*,
Christus Apostolis confuse de urbis et orbis exci-
dio rogantibus, confuse et mistim (num cum
alio jungendo et miscendo) respondet, usque ad
vers. 15. Idque facit hoc fine, ut Apostoli et fideles
semper suspensi ad utrumque studioso se com-
parent, obarment et premuniant. Inde a versu 13,
distincte agit de excidio urbis Jerusalem, ejusque
signa praevia assignat, usque ad vers. 29, ubi
deinceps usque ad finem capituli agit de signis
quae praebunt excidium orbis, sive finem mundi.
Porro, de urbis et orbis excidio mistim, hoc versu
et seq. usque ad 15, agi liquet ex ipsis ejus signis,
quae utrumque excidium praebunt. Quocirca haec
de orbis excidio ejusque signis accipiunt S. Hila-
rius, S. Gregorius, hom. 4 in *Evang.*, et Irenaeus,
lib. V, cap. XXV. Illud enim praebunt gravissimi
tumultus, praedia, fames, pestes, terremotus,
pseudochristi. Rursum de urbis excidio haec recte
quoque intelligunt S. Chrysostomus, Euthymus,
Theophylactus; idque patet ex Luca, XXI, 8 et 12,
ubi ait: « Sed ante haec omnia injicient vobis
manus suas, et persequentur trahentes in syna-
gogas: » quod Apostolis contigisse ex *Actis Apo-
stolorum* liquet, ante excidium Jerusalem. Ante
illud ergo primo, surrexit gens in gentem, quia
postquam Hierosolymitani suum Romanorum mi-

litum praesidium ceperunt et trucidarunt, mox
Ascalonites, Ptolemaeienses, Damasceni, Alexan-
drini, Syri, Romani et omnes vicinae gentes certam
in bella contra Judaeos surrexerunt, idque
continuo usque ad miserum Hierosolymae pe-
Titum excidium, de quibus Josephus fuisse agit,
lib. II *Belli*, cap. XI usque ad finem lib. VII, et
Hegesippus, lib. II, cap. XI, XIV, XVI et XVII.

Secundo, ante excidium Judaeam allictam fuisse
fame, patet Act. XI, 23, et ex *Jos. pho.*, lib. XX
Antiq., cap. II et III, ubi scribit reginam Adiabeno-
rum fami huic succurrisse.

Tertio, de peste et terremotu nil habet Jose-
phus; sed ex hoc Christi oraculo certum est illa
extitisse, quia utrumque bellum et famem com-
mitari et sequi solet.

Addit Lucas, XXI, 9: « Terremotusque de caelo,
et signa magna erunt: » haec enim praecessura exci-
dium orbis, patet ex *Apoc. VIII* et *IX*. Vide ibi
dicta et dicenda hic vers. 29. Haec praecedens
fuisse excidium urbis Hierosolymae certum est.
Nam primo, horribilis cometes, forma gladii, Hie-
rosolymam integro anno ante excidium e caelo
incubuit; secundo, in Paschate, confluentem populo,
hora nona nocturna lux meridiana in templo per
mediam horam fulsit; tertio, hos immolandus
in templo agrum peperit; quarto, Orientalis
porta templi aenea et gravissima, ut vix a viginti
viris claudi posset, hora noctis sexta ultio pate-
facta est; quinto, in aere visi fuere armatae acies,
currus et pugnantulum in praedio; sexto, audita in
Pentecoste vox Angelorum in templo: « Migneus
hinc; » septimo, plebeius quidam et rusticus no-
mine Jesus, Anani filius, repente exclamare coepit:
« Vox ab Oriente, vox ab Occidente, vox a
quatuor ventis, vox in Hierosolymam et templum,
vox in martos novos novaeque nuptas, vox in
omnem populum; » atque haec interdui nocti-
que clamantis omnes civitatis vicus circuibat,
adeoque per septem annos, quasi attonitus horren-
dae voce assidue intonabat: « *Vae, vae Hiero-
solymis;* » donec cineta a Tito urbe, in mura
fortius solito clamans: « *Vae Hierosolymis,* » tem-
plo, populo et mihi, » lapide hostili ictus interit:
de quibus omnibus vide Josephum, lib. VII *Belli*,
cap. XII, et Eusebium, lib. III *Histor.*, cap. VIII.

8. HEC AUTEM OMNIA INITIA SUNT DOLORUM, —
Graece *ἀρχαί*, id est parturitionum, ut vertit
S. Hieronymus in *Comment.*; hoc est summorum
dolorum, ac simillium his quos patiantur mulieres
in partu, in quo non pauca doloribus necantur.
Sicut enim in morituris sensim et gradatim accres-
cunt dolores et morbi, donec adeo ingravescant
ut periant; sic pariter creverunt bella, fames,
pestis, etc., sub excidio urbis, ut patet ex Jose-
pho, lib. VI et VII, sicutque fiet pariter sub
excidio orbis: nam quia in occasu saeculi su-
mus, praecedunt quaedam egritudines mundi, »
ait S. Augustinus in cap. XXI *Luca*, 9. Vide dicta
Apoc. VIII et *IX*, et cap. XVI.

Sicut esse
dicitur de
Ierusalem.
Primo.

Secundo

Tertio.

Quarto

Quinto.

Sexto.

Septimo.

tum Romanorum Judæis tempus sufficiens, ad se suaque convasandum et fugiendum; sed Christus illico fugiendum suadet, tum ut gravissimam fore calamitatem significet, tum quia presentem jam milite Romano in Judæa, ac per eam discurrente, nusquam erat tutus fugiendi locus: fugientes enim in milites Romanos incidebant, ab hisque spoliabantur et mactabantur, ut fuse narrat Josephus, libro *De Bello Judaico*.

Quocirca festinissimum hoc excidium Jerusalem, expressus fuit typus et prelium excidii orbis, æque ac fuit diluvium Noëticum, conflatio Sodomæ et submersio Pharaonis cum toto exercitu in mari Rubro.

Mystice: Hadrianus I Pontifex, epist. ad Carolum, regem Francorum, Act. IV: « In tecto est, sit, qui excidens carnalia, tanquam in aura libera spiritaliter vivit. Hujus ergo spiritalis viri jam vasa ista vacant in domo, quia mente corpori supereminens, per aciem intelligentie tanquam in tecto positus, perspicuitate sapientie velut caelo apertissimo fruitur. »

18. ET QUI IN AGRO, NON REVERTATUR (domum)
TOLLERE TUNICAM SUAM, — Græce *ἄνωγει*, id est pallium, sive extimam vestem, qua se e pluvia, frigore alisque aeris injuriis defendat. Solent enim agricolæ et laborantes in agro, pallium et tunicam deponere domi aliove loco, ut seminandi expeditiores sint ad laborandum; q. d. Simili modo imminente excidio Judææ et Hierosolymæ, celerime et seminudi (si sitis) fugite, ut tantam tamque repentinam cladem evadatis. Est hyperbole et proverbium simile priori; utroque figurate significat Christum, occysse fugiendum esse omnibus relictis, etiam vestibus, idque ut gravitatem instantis calamitatis insinuet: hac enim phrasi in simili re uti solent Prophete, ut Jeremias, xlii, 3, in strage Egyptiorum facta per Chaldaeos: « Vidi, inquit, pavidos et terga vertentes, fortes eorum casus: fugerunt concili, nec respexerunt: terror undique, ait Dominus; non fugiat velox, nec salvari se putet fortis. » Et cap. xlviii, 6, in strage Moabitarum: « Fugite, ait, salvate animas vestras, et eritis quasi mystice in deserto. » Alludit ad Loth fugientem incendium Sodomæ, cui proinde angelus ait, Gen. xix, 17: « Salva animam tuam, noli respicere post tergum. »

19. VÆ AUTEM PREGNANTIBUS ET NUTRIENTIBUS [Græce *ἐσθλασθῶσαι*, id est *mammaribus*, ut legit S. Augustinus in *Psalm.* xxxix, 1, *ἵνα* enim est mamma; hoc est, lactantibus, scilicet puerperis, que suis infantibus dant lac mamma) in illis diebus. — Quia scilicet prægnantes onere embryonum quos utero gestant, nutriendes sive lactantes, sarcina infantium lactentium gravate, fugere non poterunt: unde ab hoste Romano irato et sæviente capientur, et cum suis parvulis trucidabuntur. Ita S. Chrysostomus hic, Hilarius et alii. Addit Theophylactus alludi hic ad gravi-

tatem famis; qua coacte matres nonnullæ in obsidione Jerusalem comederunt suos infantes, teste Josepho, libro VII *Belli*, cap. viii. Declarat Christus gravitatem vindictæ et cladis Jerusalem, quod in ea ne quidem prægnantibus et infantibus parceretur, ut in aliis urbium obsidionibus et expugnationibus fieri solet: ipse enim sexus femininus matrum, et etas infantilis puerorum, hostibus quatumvis iratis movent misericordiam.

20. ORATE AUTEM UT NON FIAT FUGA VESTRA IN HIEME, VEL SABBATO. — « Hieme, » quia in ea ob frigus, nives, pluvias, lutum, ventos aliæque aeris et viarum incommoda, fuga est difficilis, atque ægris ac senibus sæpe impossibilis ad Icthalis « Sabbato, » quia in eo Judæis non licebat ultra mille, imo ultra septingentos passus ambulare, ut ostendi *Actor.* 1, 12.

Dices: Sabbatum uti et cætera legalia, tempore excidii Jerusalem per Titum, jam erat abrogatum a Christo et Apostolis in Pentecoste, per promulgationem legis Evangelicæ, *Actor.* ii; et etiamsi non fuisset abrogatum, jure nature licuisset in eo per plura passuum millia fugere ad salvandam vitam.

Respondet: Christus loquitur de Judæis et Christianis adhuc judaizantibus, qui nimia religione tam arcte sabbatum observare solebant, ut mallent mori quam fugere et sua exportare, aut se contra hostes invadentes defendere in sabbato, ut patet I *Machab.* ii, 34 et seq. Judæi autem et judaizantes in excidio Jerusalem, sum observanturi erant sabbatum, licet a Christo abrogatum. Adde, legalia a Christo abrogata in Pentecoste, tum quidem fuisse mortua, nec ulterius obligasse, non tamen statim fuisse mortifera; sed permissum fuisse Judæis ad Christum conversis ea adhuc servare, ad reverentiam legis et Mosis, per plures annos, donec plane libertatem Evangelicam edocti in plenam unionem cum Gentibus in Ecclesia Christi transirent, uti dixi *Galat.* ii, 14. S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius.

Alludit Christus ad captam vel potius capiendam a Tito Jerusalem in die sabbati, ut testatur Dio Cassius in *Nerone*. Imo noster Gaspar Sanchez, in capite xiv *Zachar.*, num. 27, ad litteram sic accipit, quasi Christus hic predicat in sabbato fugiendum esse Judæis, eo quod illo die a Romanis capiendi sit Jerusalem. Verum Christus hic dat signa prævia excidio Jerusalem, et ante illud fugiant et effugiant, ut dixi vers. 15; nam in obsidione et excidio ejus, Titus ita illam muro undique cinxit, ut ex ea fugere esset impossibile, teste Josepho.

21. ERIT ENIM TUNC TRIBULATIO MAGNA (in Jerusalem totaque Judæa ex ultione divina, patet *Lucæ* xxi, 23), QUALIS NON FUIT AB INITIO MUNDI USQUE MODO, NEQUE FIET. — Nonnulli cum S. Augustino, epist. 80 ad *Hesychium*, « quales non fuit, etc., neque fiet, » arctant ad Judæos; de Judæis enim hactenus egit, q. d. Judæi nec in cap-

Distichus cum
sabbatum
in
ga.

« vitate Egyptiaca, nec Assyriaca, nec Babylonica, nec Syriaca sub Antiocho Epiphane, tantas clades passi sunt, quantas patientur a Tito et Romanis, imo nec deinceps tantas patientur, quia Titus extremum eis affert excidium et desolationem, que durabit usque ad finem mundi, uti prædixit Daniel, cap. ix, vers. ult.

Pluribus alii censent hoc Judæorum per Titum excidium et supplicium in atrocitate conferri et anteferi quibuslibet excidiis et suppliciis particularibus quarumcumque gentium; nam Judæi non fuerunt ab initio mundi, sed ceperunt ab Abraham et Jacob. Sensus ergo est, q. d. Nec conflatio Sodomæ, nec submersio Pharaonis et Egyptiorum in mari Rubro, nec Chananæorum eversio per Josue, nec Ninives, Babylonis, Persarum, Græcorum aliarumque gentium vastatio, tam atrox et horrenda fuit vel erit, quam futurum est excidium Judææ per Titum. Dixi: particularibus; nam generale totius mundi excidium per diluvium tempore Noe, et per conflagrationem in fine mundi, communi omnium clade ejusque atrocitate superat unius Judææ excidium. Similiter atrocior erit persecutio Antichristi, utpote universalis omnium Christianorum ex omnibus gentibus credentium Christo.

Comparat ergo Christus excidium unius gentis Judaicæ, cum excidio alterius ejusque gentis, non autem omnium gentium totiusque mundi. Id ita confisque liquet ex Josephi, libris VII, quos *De Bello Judaico* exaravit, qui inter cætera disertè ait, lib. VI, cap. xi: « Ut autem breviter dicam, neque aliam civitatem unquam talia perpessam puto, neque ullam nationem post hominum memoriam, seditionis malitia ferociorem fuisse. » Et lib. VII, cap. xvii: « Superat omnem humanam et divinitus emissam pestem numerus peremptorum, quos partim palam occidere, partim cepere Romani. »

Causam tante atrocitatis excidii Judaici assignat S. Chrysostomus atrocitatem criminis, quo ipsi suum Messiam, puta Christum Dei Filium indignissime tractarunt et crucifixerunt. Unde hoc excidio et desolatione perpetua gentis Judaicæ, convinctus Judæos, doceasque Christum jam venisse esseque illum qui ab eis occisus est. Nam nullum aliud crimen Deus unquam tam atrociter punivit apud Judæos, vel alias gentes, sicut punivit punique assidue Judæos, propter hoc excidium et decidium. Unde recte Auctor *Imperfecti*: « Usque ad Christum, inquit, Judæi etsi peccatores, ut illi sunt habiti, et ut filii castigati: crucifixo Domino, desiderunt esse filii, et facti sunt hostes, et ut tales eradici absque ulla salutis spe reliqui; sicut enim illi tale facinus commiserunt, quale nunquam commissum est, nec est committendum: sic et super illos talis sententia venit, qualis nunquam venit, nec veniet. » Hoc est quod ait Lucas, xxi, 22: « Quia dies ultionis (excidii) hi sunt etc., erit enim pressura

magna super terram, et ira populo hinc. » Addit Josephus, lib. VII *Belli*, cap. xvi, Titum hanc bellionem agnovisse, illique non suis viribus expugnationem Hierosolymæ tribuisse. Captum enim Jerusalem ingressus, videns munitionem et turrium altitudinem et soliditatem, exclamavit: « Deo plane adjuvante pugnavimus, et Deus erat qui detrahit ab istis munitionibus Judæos. Nam que hominum manus, ut que machinæ ad istas valeret? » Idem Josephus, lib. VI *Belli*, cap. xiv, et ex eo Eusebius, lib. III *Hist.*, ca. v: « At cum Titus, ait, circumiens vidisset repletos mortuorum cadaveribus vallos, cum ingenti gemita elevatis ad caelum manibus Deum invocet testem, hoc suum opus non esse. »

Addit Lucas, cap. xxi, 24: *Primo*: « Et cadent in ore gladii, » id est per aciem gladii Romanorum necabuntur. Unde Josephus, lib. VII *Belli*, cap. xv, asserit, præter alios innumeros per totam Judæam cecos, in sola Hierosolyma tempore obsidionis ejusdem, mortua esse fame, peste et gladio undecies centena hominum millia.

Secundo: « Et captivi ducentur in omnes gentes, » quia, ut ait ibidem Josephus, tam 97 milia Judæorum capta fere. Addeque tum Hierosolymis ad Pascha confluentem ex toto orbe Judæorum turbam, fuisse ad vicies centena et septingenta millia, id est duos miliones et 700 milia hominum. Unde subdit: « Tunc velut in carcerem tota gens falo conclusa est, et farta hominibus civitas bello obsidebatur. Itaque superat omnem humanam et divinitus immisam pestem numerus peremptorum, quos partim palam occidere, partim cepere Romani. Rimanis enim cloacas et sepulcra eruentes, quos offendissent, juglabant. Inveni autem sunt ibi quoque plures quam duo millia, quorum alii manu sua, plures autem mutuis se vulneribus interfecerant, cum alios fames corrumpisset. »

Tertio: « Et Jerusalem calcabitur a Gentibus, donec impliantur tempora nationum, » sive gentium, id est usque ad finem mundi omniumque gentium: impleto enim gentium numero a Deo decreto, finietur omnis gentium populus et numerus cum mundo. Ita Euthymius; vel, ut Beda, q. d. Donec plenitudo Gentium intret in Christi Ecclesiam; nam hoc facta, a tunc omnis Israel salvus fiet, » ut ait Apostolus, *Rom.* xi, quod fiet in fine mundi. Respicit enim Christus ad desolationem Jerusalem, de qua dixit vers. 20, quod illa predicta sit a Daniele, cap. ix, vers. ult., ubi Daniel ait: « Usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio, » ut scilicet Jerusalem solum æquata et desolata a Tito, non sit amplius urbs regia Judæorum, sed Gentium, et deinde Christianiorum, ac postea Saracenorum et Turcarum, uti jam est, idque usque ad finem mundi, quando Antichristus, rex et Messias Judæorum, Hierosolymæ sedem regni sui constituit, ut patet *Apoc.* xi, 8; tanquam Elias et Henoch Antichristo

resistentes, multos Judæorum ad Christum convertent; occiso vero Antichristo, Judæi omnes per assecas Eliæ et Henoch ad Christum traduntur, publicæque Christum Hierosolymæ colent, ut satis colligitur ex *Apocal. xx, 8*. Vide ibi dicta.

Addit Eusebius, lib. IV *Histor.*, cap. vi, Adrianum Imperatorem, qui Vespasiano post Domitianum, Nervam et Trajanum in imperio successit, gravi edicto cœnisse ut omnes omnino Judæi procul a Judæa abirent, nec cuiquam eorum vel minus fas esset Judæam conspicere; ac deinde subdit: « Ita factum est ut civitas post interitum Judæicæ gentis, incolis mox in eam peregrinæ nationis confluentibus, permutatis civibus, etiam ipsa Eliæ appellaretur, ex cognomine Imperatoris Eliæ Adriani; et ut in Romanorum jus conversa, ritum pariter mutaret et nomen. » Ecce hoc est quod prædicit Christus: « Et Jerusalem calcabitur a Gentibus. »

Ex hisce Christi verbis, recte S. Cyrillus Hierosolymitanus confutavit Judæos qui, urgente Juliano Apostata, templum Hierosolymitanum reedificare melibantur: prædixit enim omnem illorum laborem fore irritum, eo quod Christus ex Daniele edixerit desolationem Jerusalem et templi duraturam usque ad finem mundi. Et verus fuit vates. Nam ignis, cœlitus delapsus, euncta artificum instrumenta consumpsit, et terræmotus ingens lapides fundamentales evulsit, ac cunctos cum confinis edificis dispersit; sequenti vero nocte signa crucis instar radii solaris splendentia, vestibula Judæorum impressa comparuerunt, quæ extergere nullo pacto poterunt. Ita Socrates, libro III, cap. xx, vel juxta aliam editionem, xxvii.

22. ET NISI BREVIATI (Græce *ἐπιβραβήσαντες*, id est occisi, decurtati, imminui, q. a Domino, ut addit Marcus, xiii, 20) FUISSENT DIES ILLI, NON FIERET ALIYA OMNIS CARO, SED PROPTER ELECTOS BREVIATURUS DIES ILLI. — Duplices sunt electi, scilicet a gratiam, ut sunt omnes fideles et justi; et ad gloriam, ut sunt omnes salvandi. Utrique hic accipi possunt, sed maxime secundi: hi enim perfecti sunt electi, et quicumque electi sunt ad gratiam finalem, ut in ea ad finem vitæ perseverent, hi quoque electi sunt ad gloriam. Sensus est, q. d. Nisi Deus ab eterno pauciores fore decrevisset, et in tempore pauciores exhibuisset desolationis Judææ; pauciores, inquam, quam et Judæorum culpa, et Romanorum ira exigebat, omnes omnino Judæi perirent. Nam si tempus obsidionis Jerusalem et stragis Judææ diutius durasset, omnis caro, id est omnes Judæi non salvarentur, sed peste, fame et bello fuissent consumpti. Fremebant enim Romani in Judæos, quasi in gentem rebellem et obstinatam, et nisi Ili lenitas eos repressisset, ac Jerusalem Deo ita disponente cito capta fuisset, Romani omnes Judæos mactassent. Deus ergo dies hos stragis Judæicæ brevavit, id est pauciores effecit, propter

electos, id est partim propter Christianos, qui e Jerusalem fugere vel non poterant, vel noluerant; partim propter Judæos, qui in obsidione tanta clade percussis, conversi fuerunt ad Christum, aut postea convertendi erant; item propter nascituros ex eis et convertendos, eosque omnes quidem, sed maxime propter perseveraturos ex eis in Christi fide et gratia, ac consequenter a Deo electos, uti ad gratiam et perseverantiam, sic et ad gloriam; q. d. Si tribulatio hæc Judæorum diutius duraret, nemo ex eis perseveraret in vita, ideoque nec in fide et gratia hujus vitæ, ac consequenter nemo ex eis superesset, qui foret salvus et electus; ut ergo aliqui supersint, qui a Deo Deique prædestinatione salventur, sinque electi, puta illi quos Deus prævidet et præordinat in hac tribulatione duraturos, aut nascituros et ad Christum convertendos, ac si tribulatio hæc remittatur, perseveraturos in fide et gratia, ideoque salvandos: hæc de causa Deus brevavit et contrahit hos calamitatis dies.

Id ita accidisse patet ex Josepho, qui, lib. VII *Belli*, cap. xv, testatur plusquam quadraginta millia Judæorum, cladi et excidio Hierosolymæ illato per Titum superfuisse salvæ mansisse. Ubi advertit Deum propter fideles et electos, etiam servasse in vita multos ex Judæis non electos, sed in judaismo obstinatos et reprohos. « Igitur, ne dicant Judei, ait S. Chrysostomus, mala hæc propter prædicationem et adorationem Christi sibi accidisse, non solum non fuisse causam malorum fideles ostendit, verum etiam nisi fideles fuissent, interemptione universos necandos fuisse asserit. Nam si dilatio belli permissione divina facta fuisset, nullæ Judæorum exstarent reliquæ; sed ne cum infidelibus Judæis fideles interirentur, citius et bello finem imposuit. » Denique maxime propter Judæos omnes qui in fine mundi salvabuntur, Deus brevavit hos dies.

Tropologie: disce hic quantum sit amor et cura Dei erga suos fideles et electos, propter hos enim peperit multis Judæis: propter electos enim Deus totum mundum et omnia que in eo sunt creavit et conservat, imo propter eos Christum Filium suum hominem effecit, ac crucifixi morique voluit. Unde Paulus, I *Cor. iii, 22*: « Omnia, autem vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive presentia, sive futura. »

23. TUNC SI QVIS VOBIS DIXERIT: ECCE HIC EST CHRISTUS, AUT ILLIC, NOLITE CREDERE. — Nonnulli putant Christum hic transire a signis excidii urbis Hierosolymæ, ad signa prævia excidii orbis; sed melius hæc referas ad signa excidii urbis, de quibus hæcenus egit: hoc enim significat « tunc. »

ECCE HIC EST CHRISTUS. — Sciebant Judæi jam tunc instare tempus adventus Messie, sive Christi, eo quod translatum esset scriptum a Juda ad alienigenam Herodem et Romanos, juxta vaticinium Jacobi, *Genes. xlix, 10*. Unde tunc multi adulantes Vespasiano, dixerunt ipsum, utpote victorem Judææ, esse Messiam, teste Suetonio in *Vespasiano*. Alii, adulantes Herodi, dixerunt ipsum esse Messiam. Insuper tunc in Hierosolyma, teste Josepho et S. Hieronymo, tres fuere factiones, quæ singule suos habebant duces, qui se venditabant pro Messia qui Judæos defenderet contra Romanos. Hi duces fuere Eleazarus, filius Simonis; Joannes, filius Levie; Simon, filius Gorie, inter se de principatu decertantes. Talis quoque fuit impostor ille, qui sub Adriano Imperatore finxit se esse Messiam, ideoque vocari voluit Barchochebas, id est filius stellæ, quasi in eo imple-retur illud Balaam de Messia vaticinium: « Orietur stella ex Jacob, » *Num. xxiv, 17*. De quo Eusebius, lib. IV *Hist.*, cap. 6: « Tempore, inquit, quo ista gerebantur, ducebat exercitum Judæorum Barchochebas quidam, quod nomen significat stellam, cæterum vir crudelis et scelestus. Sed et vocabulo suo velut vilibus mancipiis persuadebat, se ob salutem eorum sidus magnum, agris mortalibus et longa obscuritate damnatis ferre lucis auxilium. » De eodem vide et Galatinum, lib. IV *De Arcanis fidei*, cap. xxx.

Tales nostro hoc ævo fuere David Georgius et Joannes Leydanus, rex Anabaptistarum, qui occupato Monasterio, urbe Westphaliæ, ibi se Christum regem constituit, ac duodecim apostolos creavit, quos ad omnes vicinas urbes misit, ut ad suum Christum omnes adducerent; sed a Catholicis obsessus et captus, vivus in crate viminea ex apice turris suspensus, a muscis, avibus et vespis corrosus interit anno Domini 1536. Historia impressa exstat. Plures tales erunt sub tempora Antichristi. Tales etiam tropologie sunt hæresiarchæ, qui alium Christum nobis venditant, hoc ipso quo alia dogmata afferunt, quæ non sunt Christi, sed Antichristi. Ita Origenes et S. Augustinus, epist. 80 ad *Hesychium*. Licet enim « tunc » proprie notet tempus excidii urbis Hierosolymæ, tamen accipi potest indefinite et confuse, ut extensive notet tempus quodlibet, quod erit ab excidio Hierosolymæ usque ad finem mundi, uti notat S. Chrysostomus, *hom. 77*. Causam dabo vers. 29. Porro, inepte hæretici per: « si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, » cenotenti notari Catholicos, qui de Eucharistia dicunt: « Ecce hic est Christus. » Loquitur enim Christus de hereticis et pseudopropheta visibilibus, qui se dicent esse Christos, ut discipulos post se adducant; non autem de Eucharistia, ubi Christus est invisibilis.

24. SURGENT ENIM PSEUDOCHRISTI ET PSEUDOPROPHETE (jam dicti); ET DABUNT SIGNA MAGNA ET PRODIGIA, ITA UT IN ERROREM INDUCANTUR (SI FIERI POTEST) ETIAM ELECTI. — « Signa, » per artem magicam ope diaboli, quem multi hæresiarchæ habere paterunt, id est assessorem et familiarem, uti ostendi I *Timoth. iv, 1*. Talis fuit eorum primus et princeps Simon Magus, qui suis signis et mirabilibus demeravit Neronem et Romanos, adeo ut Romæ ei statuum posuerit; sed ipse tandem ope demonis volans per aera, præcibus S. Petri præcipitatus in terram, genua ad saxum allidentis confregit, « ut qui volare tentaverat, ambulare non posset; et qui pennas assumpsisset, plantas amitteret, » ait S. Maximus, *hom. 3 De SS. Petro et Paulo*. Vide dicta *Actor. viii, 9*, et *Matth. vii, 22*.

ITA UT IN ERROREM INDUCANTUR (SI FIERI POTEST) ETIAM ELECTI. — Etroperum finalem intellige, q. d. ut electi a fide et gratia descendant, ideoque reprobandentur et damnentur. Nam non est certius reprobandonis signum, quam ei quis a fide apostatet. Perperam ergo hinc Calvinus infert electos, sive prædestinatos, non posse peccare: peccant enim, sed penitent et resurgunt, ut in gratia decedant.

SI FIERI POTEST. — q. d. Tanta erit tribulationis et tentationis pseudochristorum et hereticorum vis, fraus, focus et species, ut, si fieri posset, ab eis seducerentur, et in eorum errorem hæresimque transiret etiam electi, ideoque a fide exciderent et damnarentur. Sed hoc fieri non potest ob fortorem Dei protectionem, et infallibilem Dei prædestinationem, ait S. Augustinus, lib. XX *De Civit.*, cap. xix, juxta illud Christi: « Ego vitam æternam do eis, et non peribunt in æternum, et non rapiet (oves meas) quisquam de manu mea, » *Joan. x, 28*. Fieri enim non potest ut electi cadant et reprobandentur, ex necessitate non physica et absoluta, sed moralis que nititur Dei presentia et prædestinatione, eamque componit et combinat cum rerum futurarum eventu, que est necessitas, in sensu composito, non diviso, ut loquuntur Theologi. Etsi enim electi liberi sint libereque possint peccare, errare et damnari; tamen posito quod Deus prædestinavit et præservavit eos non peccaturos, nec erraturos et damnandos, fieri nequit ut peccent, errent et damnentur: Dei enim prædestinatio et presentia certissima est et falli nequit. Quocirca hæc duo simul stare nequeunt, quod homo sit prædestinatus, et tamen damnetur; quod Deus prædestinat hominem in gratia Dei moriturum, salvandumque, et tamen is in peccato moriatur et pereat. Simili modo de Judæis ait Joannes, cap. xii, 39: « Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: Excæcavit oculos eorum, » non quasi Isaiæ prædictio causa fuerit cur Judæi non crederent Christo, sed quod simul stare non posset Isaiæ prædictio de Judæorum incredulitate cum eorum credulitate. Et Paulus, I *Timoth. ii, 49*: « Firmum fundamentum (de electis) Dei stat habens signaculum hoc: cognovit Dominus qui sunt ejus, » Vide ibi dicta.

Porro Theologi illi, qui dicunt electos ad gloriam fuisse homines ante omnem prævisionem operum, ex merito Dei beneplacito, necessitatem

hanc salvandi eos constituunt in vi divini decreti; sed et hi, ut libertatem hominis non ledant, debent id accipere pariter in sensu composito: componere enim debent electorum constantiam et perseverantiam, cum Dei, de constantia hac eis eo modo ab eo suggerenda ut libertatem non lædat, decreto, ejusque in tempore executione, dando scilicet in tempore gratiam eis congruam et efficacem, qua efficaciter, sed libere resistent hereticis, ac in fide et gratia Dei perseverent. Neque magis mirum est non posse cadere eos quor Deus non vult cadere (voluntati enim ejus quis resistit?), quam non posse cadere eos qui a Deo præsciti sunt quod non cadent. Tam enim infallibilis est Dei præscientia quam voluntas.

Arctius nonnulli cum Ambrosio Catharino per «electos,» hic accipiunt eximie dilectos et electos a Deo, qui idcirco dirissima a demone, hereticis et impiis pati solent, sed fortissime et constantissime resistunt et superant, q. d. Tanta erit tunc tentatio, ut etiam viri sanctissimi, Religiosi et Apostolici, qui eximie a Deo dilecti sunt, a fide exciderent, si fieri posset, nec obstat potentior Dei gratia et certior electio.

23. ECCE PRÆDIXI VOBIS, — tum futuros seductores, ut ab eis caveatis, tum futuras Hierosolymæ clades, ut eas vel fugiendo declinetis, vel fortiter sustinendo superetis.

26. SI ERGO DIXERINT VOBIS: ECCE IN DESERTO EST (CHRISTUS), NOLITE EXIRE. — Notat hic Christus Simonem Gerasenum, Gorie filium, qui in desertis et montibus collegit turbam prædonom et militum, quasi Messias Judæos contra Romanos defensurus, ac in urbem Jerusalem admissus ut Zelotas tumultuantes compesceret, æque ac illi tyrannice in cives grassatus est, teste Josepho, lib. V *Belli*, cap. VII.

ECCE IN PENETRALIBUS (SYRUS, in *cubiculis*, id est in intimis abditisque templi locis, ubi Deus suam judicis presentiam opemque exhibere solet, ut eos nunc per suum Messiam a Romanis protegat), NOLITE CREDERE. — Notat hic Christus Eleazarum et Joannem, Zelotarum duces, qui interiorum templi aditum insederunt, pretextu ut urbem contra Romanos tuerentur, sed revera ut urbi dominarentur eamque expilarent. Ita Josephus, lib. VI *Belli*, cap. I et IV, qui et lib. VII, cap. XI, scribit, ardente templo, multos Judæorum confussisse in porticum extra templum, eo quod pseudopropheta quidam eo die prædicasset salvos fore, tutante Deo, eos qui ad templum confussissent; sed hos omnes vel flammis, vel gladio Romanorum perisse.

Addit Lucas, cap. XVII, 22: «Veniet dies, quando desideretis videre unum diem Filii hominis, et non videbitis,» id est venit tempus, quo desideretis meam presentiam, quam jam habetis, tum ad vestram in tanta tribulatione consolationem, tum ad hæresum et errorum

qui orientur, declarationem et confutationem.

27. SICUT ENIM FULGUR EXIT AB ORIENTE, ET PARET USQUE IN OCCIDENTEM: ITA ERIT ET ADVENTUS FILII HOMINIS. — q. d. Non est quod credatis erroneis dicentibus Messiam, salvatorem Judæorum contra Romanos, esse abditum et occultum in locis desertis, aut in templi penetralibus; quia cum ipse in secundo suo adventu redibit ad judicium, ut sanctos nec, impios condemnent, non occulte, sed publice toti mundo gloriosus, ut judex omnium, velut fulgur apparebit, in summa majestate et gloria, qua omnium oculos perstringet et in se convertet, ut nemo de eo quin sit Messias et Christus mundi salvator, dubitare possit, q. d. Adventus, id est reditus meus ad judicium, instar fulguris erit: primo, sublimis, secundo, inexpectatus; tertio, omnibus manifestus; quarto, gloriosus; quinto, efficacis, ut nemo ei resistere valeat; sexto, non in terra, sed in aere, sicut est fulguris, quod non in angulo, sed in aere toti orbi in momento conspicuum se exhibet. Respondet enim Christus Apostolis ad eorum mentem et opinionem: ipsi enim opinabantur Christum, gloriosum suum regnum inchoaturum in terra statim post excidium Hierosolymæ. Ita S. Chrysostomus: «Sicut, inquit, fulgur non indiget præcone aut nuntio, sed in momento omnibus apparet, sic adventus ille ubique semper splendere statim videbitur.» Et Auctor *Imperfecti*: «Sicut fulgur, ait, in ictu oculi universa pertransit, sic et Filius Dei non veniens adhuc, sed etiam venisse videbitur. Si enim sol, qui ad ministerium nostram creatus est, tantam habet splendoris virtutem, ut in quacumque parte cœli fuerit, ubique appareat quasi presens, quanto magis sol spiritualis Christus, cum venerit, in toto videbitur mundo, magis autem mundus in eo videbitur!»

Addit etiam idem Auctor, fulguris hic meminisse Christum, eo quod fulgura præbunt eum gloriose venientem ad judicium, juxta illud *Psal.* LXVI, 3: «Ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus. Fluxerunt fulgura ejus orbi terræ: vidit, et commota est terra, montes sicut cera fluxerunt a facie Domini.» Fulgur enim proprie est illa coruscatio et luminis vibratio, quæ ante cernitur, quo tonitruum audiatur, cum simul fiat, eo quod visus celerior sit auditu, quia lux sonitu est velocior, ait Plinius, lib. II, cap. XLII. Additur: «Si in nube luceat flatus aut vapor, tonitrua edii; si erumpat ardens, fulmen; si longiori tractu nitatur, fulgura. His finit nubem, illis perumpi.»

28. UBIQUEQUE FUERIT CORPUS, ILLIC CONGREGABUNTUR ET AQUILÆ. — Alludit ad *Job* XXXIX, 33: «Et ubicumque cadaver fuerit (Hebr. *occisi fuerint*), statim adest.» Post metaphoram fulguris subjicit parabolam aquilæ, tum quia aquila fulgure non tangitur, sicut electi non tanguntur fulmine sententiæ et maledictionis, qua Christi in die

judicii impios damnabit ad tartara; tum ne Apostoli putarent gloriosum Christi adventum instar fulguris transire et abiturum, dicereque: Quis ergo ex eo nobis premii accidet? Occurrit Christus se quidem omnibus appariturum ut fulgur, sed cum electis permansurum, eosque gloria sua pasturum, sicut aquila pascitur corpore, quasi præda et esca sua.

CORPUS. — Videtur Interpretes legisse *ἀετλά*, uti et nonnulli jam legunt; sed plures legunt *αἰετλά*, quod proprie significat ruinam et casum, indeque cadaver: dicitur enim *αἰετλά* a *αἰεττώ*, sicut cadaver a cadendo. Noster tamen Salmeron *αἰετλά* accipit pro præda et venatione, sive pro corpore avis, leporis alteriusve animalis, quod venatur aquila; hoc dicitur *αἰετλά*, quia quæ capiuntur animalia ab aquila, ea in terram illa prosternente cadunt, nam aquila adeo generosa est, ut non vesetur cadavere aut morticino, nisi eo quod ipsa vivum cepit et necavit.

Aristoteles tamen, lib. IX *Hist. anim.*, cap. XXXII, recensens sex species aquilarum, inter eas numerat *καταιετλά*, id est aquilam vulturinam, sive *καταιετλά*, id est subaquilam, quæ vulturis sectatur cadavera hisque pascitur. Unde Septuaginta, *Job* XXXIX, 33, vertunt vulturem, quæ a Plinio, lib. X, cap. III, *καταιετλά*, id est alis nigris alata dicitur, quia scilicet alæ ejus nigris distinctæ sunt maculis. Et de hac Christum hic loqui censet Aldrovandus in *Aquila*, et alii. Utraque significatio et lectio huic loco congruit, uti mox ostendam.

Est parabola ænigmatica, sive ænigma parabolicum, significans rem latere non posse, q. d. Christus: Sicut aquilæ suam prædam, sive corpus quod prædantur illico ex alto cernunt, in illudque involant, et sicut aquila vulturina odoratur cadaver etiam remotissimum ad illudque advolat: sic pariter meus gloriosus in mundum ad judicium adventus et reditus, non erit occultus, sed omnibus manifestus; quare tunc fideles et justi, velut aquilæ acutissimi visus, et velut sub-aquilæ sagacissimi odoratus, per vim divinam me odorabuntur, id est presentient, imo oculis cernent et ad me advolabunt, ut me meaque gloria felicissime reficiantur, pascantur et bentur in æternum; ac proinde tunc non opus erit inquisitione, ubi sit Christus, ut pote ejus adventus erit gloriosus, et toti mundo conspicuus. Hoc est quod ait Paulus: «Rapiemur in nubibus obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus.» I *Thessal.* IV, 17.

Cadaveri se comparat Christum, ut notet suam mortem, per quam nobis gloriam meruit; corpori quoque redivo, ut notet gloriosam suam resurrectionem, qua electos suos pascet et beabit. Unde S. Hilarius ex hoc loco colligit judicium Christi universale futurum eo loco, ubi Christi cadaver pendit in cruce, ac sepultum est, quia prope Jerusalem in valle Josaphat, uti docet

Joel, III, 2. Addi S. Hilarius: «Sanctos de volatu spirituali corporis aquilas nominavit, quorum congregantium angelis conventum futurum in loco passionis ostendit; et digne illic claritatis adventus expectabitur, ubi nobis gloriam æternitatis passione corporeæ humilitatis operatus est,» etc. Sic et S. Hieronymus, ait: «Aquila, ait, sunt qui assumunt penas, ut ad Christi veniant passionem.» Ratio est, quia congruum est ut Christus ibi judicet omnes, ubi pro omnibus ipse proprie significat ruinam et casum, indeque cadaver: dicitur enim *αἰετλά* a *αἰεττώ*, sicut cadaver a cadendo. Noster tamen Salmeron *αἰετλά* accipit pro præda et venatione, sive pro corpore avis, leporis alteriusve animalis, quod venatur aquila; hoc dicitur *αἰετλά*, quia quæ capiuntur animalia ab aquila, ea in terram illa prosternente cadunt, nam aquila adeo generosa est, ut non vesetur cadavere aut morticino, nisi eo quod ipsa vivum cepit et necavit.

Porro, Sancti recte comparantur aquilis: *Primo*, quia aquila est rex avium, sicut leo animalium: sic et Sancti, reges sunt non terræ, sed cœli. Audi Origenem: «Non dicit: Ubicumque fuerit corpus, ibi congregabuntur vultures, aut corvi; sed aquilæ, volens ostendere magnificos et regales omnes, qui in passione Domini crediderunt.»

Audi quoque Auctorem *Imperfecti*, qui per aquilas intelligit vultures: «De vulturibus enim dicit Scriptura in *Job*: Quoniam ubicumque fuerit corpus, illic invententur vultures pulli. Hoc enim naturale est vulturum, sicut dicitur quidam, ut etiam transmarina cadavera sentiant. Quoniam ergo turpes aves sunt vultures, ideo vulturis quidem moribus aptavit nomina aquilarum, ut in moribus quidem vulturum Sanctorum congregatio ostendatur ad Christi adventum, in aquilis autem regalibus regalis dignitas ostendatur: ideo enim Sancti aquilis assimilantur, quia sicut filii aquilarum ad solem probantur, ut si quidem recto aspectu intendere poterint contra radios solis, intelligantur esse legitimi; si autem non poterint, cognoscantur adulterini: sic et filii Dei ad Christi justitiam comprobantur; si enim poterint plene corde justitie verba suscipere, intelliguntur esse legitimi; si autem non poterint, cognoscuntur de diabolo esse nati.»

Secundo, quia, ut ait S. Ambrosius in cap. XVIII *Lucæ*, aquilæ se renovant, sic et Sancti se renovant, hic per gratiam, in futuro per gloriam, juxta illud: «Renovabitur ut aquila juvenus tua,» *Psal.* CII, 3.

Tertio, quia aquila aliquid habet divini, unde Aristoteles, lib. IX *Hist. anim.*, cap. XXXII: «Aquilæ, ait, volant sublimes, ut perquam maxime precel aspiciant: quapropter homines solum avium omnium aquilam divinam esse perhibent.» Hinc S. Chrysostomus pro aquilas intelligit angelorum, martyrum ceterorumque Sanctorum multitudinem, qui omnes, quasi divini spiritus, congregabuntur ad Christum Deum suum in die judicii, ut cum eo in cœlum gloriosi conscendant.

Ubi fuerit corpus, congregabuntur et aquilæ, quid?